

nostris contraria. Itaque precipio et obsecro vobis, ut innotescas de Beneventanis iam fatae terrae cultoribus, si sunt quemadmodum nos putamus Longobardi, an e contrario Romani. Debeo quippe exinde componere Guinechiso nostro comiti, si sunt Romani, amabilis valde et preceptor benigne; et si non sunt Longobardi, ceu aiunt nonnulli, mihi celeriter innotesce.

Augusto Carolo Alcoinus. Miror valde precelsa de vestra scientia, si properare illac vultis, ubi habeatis propter regionem egrotationem. De illa autem altercatione, unde manet altercatio inter vos et Guinechisum, nec debetis vos illi componere, nec ille vobis, quoniam nec Romani sunt nec Longobardi. Qualiter¹⁾ set ut narrat Verus Hostilius hystoriographus vel poeta excelsus, qui vir nobilis fuit et omnia noscere voluit, gens Smeroingorum, Franci unde soliti erant recreare regem, Europae in partibus de Asia remeavit, et videns regionem concupivit Germaniam, expugnavit multas cum magna audacia gentes, sed tantum Germanas omnes. Germani autem eo tempore, quo nunc Franci habitant, in Meotidis paludibus affligebantur, valideque in circuitu erant ab omnibus gentibus, maxime ab Avaris; et iam minime eos sustinere valentes, suppliciter ad Smeroingos venére, et censum erogavére, ut, quem dabant Hunnis, illi acciperent, hoc solum tantum, ut preliarentur Smeroingi una cum illis adversus Hunnos. At illi fecere velut illi dixere. Preliavere cum Hunnis dierum per decem spatia; faciebat nox tantummodo finem; Smeroingi autem prevaluere. Strages tunc facta fuit tanta de Hunnis, ut quadraginta milia fuissent mortuorum corpora. Alii dicunt, ut non potuisset numerus mortuorum colligi. Post hoc Smeroingi in Germaniam ad suos remeare confines. Expoliavere Meotidenses campum, eo quod non dignabantur vestimenta aut qualiacumque occisorum ornamenta extraneae gentis gestare, sed per omnes locos quando vincebant victi homines campum expoliabant. Regressi sunt Germani ad humum suam; censum dabant Smeroingis, et ex illo iam die regem Smeroingorum habebant. Quin etiam celsa pars Pubetenorum miscuit convivia²⁾ cum Meotidensibus vel Germanis Scandine insulae cultoribus. De conubiis Meotidensibus Franci sunt orti, de Scandine Guinili qui et Longobardi. Omnes enim qui ex talibus coniunctionibus orti sunt Normanni vocantur a rectitudine vel pulchritudine corporum, eo quod norma dicitur regula, id est sicut regula equalis est, ita et illi in statu suo equales sunt vel pulcherrimi. Smeroingi et illi vocantur, qui citra

1) Fortasse 'equaliter'. Bethm.

2) Ita codex. Bethm.